



## **Opvs Theologicvm**

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita  
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum  
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum  
Indicem sequens pagina dabit

**Mauro, Silvestro**

**Romae, 1687**

Q. 42. Quæ obiecta materialia, ex quo obiecto formali, per quam speciem  
intelligibilem, & quo genere cognitionis, ac scientiæ Deus cognoscat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

certè abscissa sit, vel possit euadere perfecta, & integra lacerta.

14. Tertiò canis, equus, leo, & alia animalia, quæ diuisa non viuunt, sunt perfectiora, & magis cognoscitiua; sed hæc habent animas minus diuisibiles, ac proindè minus materiales; ergo ex formis materialibus illæ sunt magis cognoscitiuæ, quæ sunt minus materiales.

15. Quartò Angeli sunt magis cognoscitiui, quam anima rationalis; sed sunt etiam magis immateriales; ergo &c. Probatur minor. Nam formæ, quæ semper debent esse separata à materia, sunt magis immateriales, quam formæ, quæ non semper debent esse separata à materia: sed Angeli semper debent esse separati à materia, anima rationalis primo debet poni in materia, deindè debet separari à materia; ergo &c.

16. Quintò ex ipsis Angelis illi sunt magis cognoscitiui, qui possunt cognoscere modo magis immateriali, hoc est magis indiuisibili; ergo &c. Probatur antecedens: Angeli enim superiores sunt magis cognoscitiui, in quantum vna cognitione indiuisibili possunt cognoscere plura, quæ Angeli inferiores cognoscere debent pluribus cognitionibus; ergo constat inductione formas, quo magis sunt immateriales, magis esse cognoscitiuas.

17. Ad 1. distinguo maiorem: omnis cognitio, quæ non possit esse à cognoscente, & ab obiecto altiori modo, quam per causalitatem, debet causari ab obiecto, & à potentia, concedo maiorem; quæ possit esse ab obiecto, & cognoscente altiori modo, quam per causalitatem, debet causari, nego maiorem; concedo minorem; & nego consequentiam. Sicut omne ens debet esse à Deo, sed non omne ens debet esse à Deo per causalitatem, sed vel per causalitatem, vel altiori modo, sic omnis cognitio debet esse à cognoscente, & ab obiecto formali, vel per causalitatem, vel altiori modo. Deus est à Deo, non per causalitatem, sed altiori modo, in quantum Deus est à se ipso; valet enim; *Deus est à se ipso; sed ipse est Deus; ergo Deus est à Deo.* Creaturæ cum non sint Deus, non possunt esse à Deo hoc pacto, sed debent esse à Deo, tanquam ab aliquo distincto, adeoque per causalitatem. Proportionaliter cognitio diuina est à cognoscente, & ab obiecto, non per causalitatem, sed altiori modo. Cognitio enim diuina cum sit ipsa Deitas, est à se; sed ipsa cognitio est cognoscens, vt ostensum est, & est obiectum formale sui ipsius, vt ostenditur quæst. 42. ergo cognitio diuina est à cognoscente, & ab obiecto formali. At cognitio creata non potest esse à cognoscere, & ab obiecto hoc pacto. Nam eo ipso, quod est creata, non est à se, sed ab alio; ergo debet esse à cognoscente, & ab obiecto formali, eo pacto, quo vnum est ab alio; sed vnum non aliter potest esse ab alio, quam per causalitatem, vel realem productio-

nem; ergo cognitio creata debet esse à cognoscente, & ab obiecto formali per causalitatem, vel realem productionem. Axioma illud, quod ab obiecto, & potentia paritur notitia, intelligendum est de sola notitia creata, & etiam aliquo modo de notitia increata, hoc est de Verbo diuino, vt explicabitur in quæstionibus de Trinitate. Vt verificetur de cognitione essentiali Dei, sumi debet abstractius, dicendo, quod ab obiecto formali, & cognoscente est cognitio.

13. Ad 2. Patet ex dictis. Explicatum est enim, quo pacto animæ brutorum sint minus materiales, quam formæ non cognoscitiuæ, & quo pacto Angeli superiores, adeoque magis cognoscitiui sint magis immateriales.

19. Ad 3. distinguo maiorem: quod est clarius, & notius ex terminis non debet probari per medium minus clarum, & notum, transeat; quod est clarius, & notius per vnum medium, non debet probari per aliud medium minus clarum, & notum altero medio, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Quod non est nobis notum ex terminis potest probari per plura media, quorum vnum sit notius altero; ex gr. potest probari tum à posteriori per medium clarissimum, & facillimum, tum à priori per medium minus clarum, ac difficilius, sed causans scientiam perfectiorem, qualis est scientia à priori. In casu nostro nomine Dei intelligendo ens increatum, siue à se, non est per se notum, quod ens à se sit cognoscituum. Ex eo igitur, quod ens à se à nullo possit limitari, ostenditur, quod est illimitatum; ex eo, quod est illimitatum, ostenditur, quod habet omne esse sine vilo defectu: ex eo, quod habet omne esse sine defectu, ostenditur, quod est actus purus, nihil habens potentia, adeoque summè immaterialis: ex eo, quod est actus summè immaterialis, ostenditur, quod est summè cognoscituius.

## QVÆSTIO XLII.

*Quæ obiecta materialia, ex quo obiecto formali, per quam speciem intelligibilem, & quo genere cognitionis, ac scientia Deus cognoscat?*

*S. Th. q. 14. a. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14. 16.*

1. Primò videtur, quod in Deo non detur scientia propriè dicta. Scientia enim propriè dicta est cognitio conclusionum causata ex cognitione principiorum per discursum; sed Deo repugnat causalitas, & discursus; ergo &c.

2. Secundò videtur, quod Deus non habeat scientiam sui ipsius. Ex Aristotele enim 3. de Anima text. 12. & 28. Intelligere, & scire est quoddam moueri, & pati; scientia consistit

sisit in quadam assimilatione cum re scita; & obiectum scitum est quædam perfectio scientis; sed Deus non potest pati, & moveri à se ipso, nec potest sibi assimilari, vel à se ipso perfici; ergo &c.

3. Tertiò si Deus intelligeret se ipsum, intelligeret se ut obiectum primum; sed omnis intellectus, & scientia distinguitur à suo obiecto primario; ergo intellectus divina distingueretur à Deo, quod est absurdum.

4. Quartò videtur, quod Deus non sciat alia à se. Nam omnis scientia specificatur, & mensuratur ab obiecto scibili; sed Deus non specificatur, neque mensuratur ab alio extrinseco, cum sit totaliter à se; ergo &c.

5. Quintò videtur, quod Deus non habeat scientiam possibilem. Deus enim non scit ea, quæ carent omni scibilitate; sed possible cum nihil sint, carent omni scibilitate, siquidem omnis scibilitas est quædam entitas; ergo &c.

6. Sextò possible sunt infinita; sed infinita non possunt comprehensivè cognosci; quod enim scientia comprehenditur, scientiæ comprehensione finitur, ut dicit S. Augustinus lib. 12. cap. 18. de Civitate Dei; ergo &c.

7. Septimò videtur, quod Deus creaturas cognoscat solum in communi, non autem in particulari, ac distinctè. Creaturas enim cognoscit solum, quatenus continentur in Deo; sed creaturæ continentur in Deo solum secundum perfectiones, non autem secundum imperfectiones; ergo Deus cognoscit creaturas solum secundum perfectiones, non autem secundum imperfectiones; sed creaturæ differunt à Deo per imperfectiones; ergo Deus non cognoscit creaturas secundum proprias rationes, per quas differunt à Deo, sed solum secundum rationes communes.

8. Octavo videtur, quod Deus non cognoscat mala. Vnumquodque enim cognoscitur per suam similitudinem existentem in cognoscente; sed in Deo nulla est similitudo cum malo quatenus malo; ergo &c.

9. Nono videtur, quod Deus non cognoscat impossibilia. Cognoscere enim impossibile est fingere; sed intellectus divinus est incapax fictionis; ergo &c.

10. Respondeo, quod cum ostenderimus Deum cognoscere omnia comprehensivè, sequitur, ut magis in particulari explicemus, quæ obiecta materialia, per quod obiectum formale, per quam speciem intelligibilem, & quo genere cognitionis cognoscat.

11. Dicendum igitur primò: Deus ut obiecta materialia intelligit se ipsum, & omnia alia, tum existentia, tum non existentia, tum possible, tum impossible, tum bona, tum mala, ac de ijs enunciat omnia, quæ verè possunt enunciar.

12. Probatur: nam ex dictis quæst. 41. num. 9. Deus sua cognitione adæquat totam cognoscibilitatem cognoscibilem; sed si non cognosceret hæc omnia, vel de ijs non enun-

ciaret omnia, quæ verè possunt enunciar, cognitio divina non adæquaret totam cognoscibilitatem cognoscibilem; ergo &c. Probatur minor: nam omnia dicta sunt cognoscibilia, enuncians de possiblebus, quod possunt esse, & possunt habere omnia sua prædicata; de impossiblebus, quod non possunt esse; de existentibus, quod existunt; de non existentibus, quod non existunt; de bonis, & malis, quod bona sunt, & mala; ergo si Deus non cognosceret hæc omnia, vel de ijs non enunciat quidquid verè potest enunciar, non adæquaret cognoscibilitatem cognoscibilem. Ex hac conclusione sequitur Deum ita res cognoscere, ut de rebus enunciet non solum veritates necessarias, & quæ non possunt non convenire, sed etiam contingentes, & quæ possunt non convenire; ex. gr. de mundo non solum enunciat, quod est possibile, quæ est veritas necessaria, sed etiam quod existit, quæ est veritas contingens. Cognitio divina, in quantum de rebus enunciat veritates necessarias, est omnino necessaria, & vocari solet scientia simplicis intelligentiæ; in quantum enunciat veritates contingentes, non est omnino necessaria, sed aliquo pacto contingens. Quia verò Deus veritates non necessarias enunciat tum absolute, ut cum enunciat mundum esse, tum conditionate, ut cum enunciat, quod si Iudas auxilijs alijs fuisset præventus, non prodidisset Christum, ideo scientia non necessaria dividitur in absolutam, quæ vocatur scientia visionis, & conditionatam, quam infra ostendemus esse scientiam mediam.

43. Dicendum secundò: Deus omnia, quæ distinguuntur ab essentia divina, cognoscit ut obiecta purè materialia per suam essentiam, tanquam per adæquatum obiectum formale.

14. Probatur: nam illud cognoscitur ut obiectum formale, quod ita cognoscitur, ut sit ratio cognoscendi; illud autem, quod ita cognoscitur, ut non sit ratio cognoscendi, cognoscitur ut obiectum purè materiale; sed Deus ita cognoscit se ipsum, & omnia, ut sola divina essentia sit ratio cognoscendi; ergo &c. Probatur minor: nam cognitio, quæ Deus cognoscit seipsum, & omnia, est omnino idem cum divina essentia, ut ostensum est quæst. 41. sed essentia divina cum sit adæquate à se, est adæquata ratio sui ipsius, nec habet ullam rationem distinctam; ergo est adæquata ratio divinæ cognitionis, adeoque quidquid à Deo distinguitur, ita cognoscitur, ut nullo pacto sit ratio divinæ cognitionis, sed sit obiectum purè materiale. Licet nullum obiectum à Deo distinctum sit ratio, cur Deus cognoscat, tamen obiectum à Deo distinctum potest esse conditio requisita ad hoc, ut Deus tale obiectum enunciet: ex. gr. existentia peccati est conditio requisita ad hoc, ut Deus affirmet dari peccatum, ut ex professo explicabitur quæst. 43. 44. & 45. in quibus agitur de scien-

scientia visionis, & media.

15. Dicendum tertio: diuina essentia est species intelligibilis, per quam Deus cognoscit omnia cognoscibilia. Probatur: nam species intelligibilis est, per quam obiectum ita constituitur intentionaliter præsens cognoscenti, ut sit ratio cognoscendi; sed per essentiam diuinam omnia cognoscibilia sunt ita Deo intentionaliter præsenta, ut diuina essentia sit adæquata ratio cognoscendi ipsa; ergo &c. Hanc conclusionem expressè tradit Sanctus Thomas hic quæst. 14. art. 2. dicens, quod intellectus diuinus ita se habet, ut neque careat specie intelligibili, neque species intelligibilis sit aliud à substantia intellectus diuini.

16. Dicendum quarto cum Sancto Thoma eadem quæst. 14. art. 5. licet diuina essentia sit species intelligibilis omnium cognoscibilium, tamen est species propria solius Dei, aliorum est species non propria. Probatur: nam cum species representat indiuisibiliter plura obiecta, sed ita, ut ab vno obiecto propter continentiam, qua continet aliud obiectum, habeat totum esse, & totam vim representationis alterius obiecti, à quo nullo pacto habet esse, & vim representationis, est species propria solius primi obiecti, non autem secundi: ex gr. licet species representans imaginem Petri representet indiuisibiliter, & Petrum, & imaginem, tamen si habeat totum esse, & totam vim representationis Petri ab imagine Petri, propter continentiam, qua talis imago continet similitudinem Petri, est propria species solius imaginis, non autem Petri; sed diuina essentia ita est species intelligibilis Dei, & omnium aliorum cognoscibilium, ut à Deo, cum quo identificatur, habeat adæquatè esse, & totam vim representationis omnia cognoscibilia, propter continentiam, qua Deus continet omnia cognoscibilia, ab alijs autem cognoscibilibus distinctis nullo pacto habeat esse, & vim representationis; alioquin diuina essentia haberet esse, & vim representationis ab aliquo distincto, & non esset adæquatè à se ipsa; ergo &c.

17. Dicendum quinto: Deus propriè loquendo se ipsum cognoscit in se ipso, & in sua essentia, & non in alio distincto; at cognoscibilia distincta à Deo cognoscit non in se ipsis, sed in Deo, & in diuina essentia. Conclusio est S. Thomæ eadem quæst. 14. art. 5. Probatur: nam propriè loquendo tunc aliquid cognoscitur in se ipso, cum vel ipsum, vel eius species propria est ratio cognoscendi; cum, verò adæquata ratio cognoscendi non est ipsum, neque species eius propria, sed species propria alterius obiecti continentis illud aliud obiectum, tunc non cognoscitur in se ipso, sed in alio: ex gr. cum immediatè video Petrum, cognosco Petrum in se ipso, quia Petrus, & propria species Petri est ratio, ut Petrum cognoscam; at cum immediatè video imaginem Petri, cognosco Petrum, non in se

ipso, sed in imagine, quia species propria imaginis propter continentiam, qua imago continet similitudinem Petri, est ratio cognoscendi Petrum; sed Deus ita cognoscit se ipsum, ut ipse Deus, & diuina essentia, quæ ex dictis conclusionibus quarta est species propria Dei, sit adæquata ratio cognoscendi Deum; ita cognoscit alia cognoscibilia, ut neque talia cognoscibilia distincta à Deo, neque species propria ipsorum sit ratio cognoscendi ipsa, sed adæquata ratio cognoscendi sit diuina essentia, quæ est species propria solius Dei, non autem aliorum cognoscibilium; ergo &c.

18. Confirmatur ex Augustino lib. 5. de Gen. ad litt. cap. 13. ubi dicit. Porro si nouerat ea, quæ fecit, ubi nouerat, nisi apud se ipsum? & lib. 83. quæstionum, quæst. 56. dicit. Neque quicquam Deus extra se ipsum intuetur; sed hoc non potest ita intelligi, ut Deus nihil intueatur, quod sit extra Deum; ergo debet intelligi, ut Deus, quæ sunt extra Deum, non intelligat in se ipsis, sed in Deo.

19. Debet aduerti, quod non negamus Deum cognoscere alia à se secundum esse, quod habent in se ipsis, sed solum negamus, quod illa cognoscat in se ipsis, hoc est ita, ut vel ipsa, vel species propria eorum sint ratio cognoscendi. Rursus Deus cognoscit alia in se ipso, non tanquam in aliquo medio prius cognito, sed tanquam in alio simul cognito.

20. Dicendum sexto: cognitio, qua Deus cognoscit omnia, est simul scientia, intellectus, siue intelligentia, sapientia, consilium, siue prudentia, & ars, ideoque hæc nomina, in quantum tribuuntur Deo, significant eandem indiuisibilem cognitionem, & essentiam Dei, prout à nobis cognitam diuersis conceptibus, seu rationibus formalibus. Quod hæc nomina conueniant Deo, patet ex Scriptura. Sapientia enim & scientiam Deo tribuit Apostolus ad Rom. 11. dicens: *O altitudo diuitiarum sapientie, & scientie Dei.* Intellectum, seu intelligentiam, & consilium, seu prudentiam Deo tribuit Iob. cap. 12. dicens: *Apud ipsum est sapientia, & fortitudo, & ipse habet consilium, & intelligentiam.* Sapientia 13. Deus vocatur artifex, adeoque ipsi tribuitur ars.

21. Probatur conclusio: nam ex doctrina Aristotelis 6. Ethic. cap. 3. 4. 5. & 6. Intellectus est cognitio principiorum: scientia est cognitio conclusionum per suam causam, seu rationem: sapientia est cognitio altissimæ causæ, & aliorum per altissimam causam: prudentia, seu consilium est recta ratio, hoc est vera cognitio agibilium: ars est recta ratio, hoc est vera cognitio factibilium; sed Deus sua simplicissima cognitione cognoscit omnia principia, & omnes conclusiones per suam essentiam, tanquam per obiectum formale, quæ diuina essentia est causa, & ratio omnium conclusionum: rursus cognoscit suam essentiam, quæ est altissima causa, & omnia alia, cognos-

cognoscit per suam essentiam: cognoscit etiam verissima cognitione, quo pacto actiones possint, ac debeant honestissime fieri, quod est cognoscere omnia agibilia: cognoscit, quo pacto res possint optimè fieri in ratione artificiatorum, quod est cognoscere omnia factibilia; ergo &c.

22. Dicendum septimò: Deus cognoscit res per scientiam saltem reductivè à priori, non autem à posteriori, & ita cognoscit omnes veritates, tum logicas, tum physicas, tum mathematicas &c. ut scientia divina sit formaliter Theologia, non autem physica, vel mathematica &c.

23. Probatur: nam scientia à priori est, quæ res cognoscuntur per suam causam, seu rationem; scientia à posteriori est, quæ res cognoscuntur per aliquid, quod non est causa, vel ratio, sed potius effectus rerum; sed Deus omnia cognoscit per divinam essentiam, tanquam per obiectum formale, quæ divina essentia est prima ratio sui ipsius, & omnium aliorum; ergo &c. Rursus scientia, quæ habet pro adæquato obiecto formali Deitatem, est Theologia; sed Deus omnes veritates physicas, mathematicas &c. cognoscit per suam essentiam, tanquam per adæquatum obiectum formale; ergo &c. Scientia igitur, quæ Deus cognoscit veritates physicas, non est formaliter, sed solum eminenter physica, quia illas non cognoscit per obiectum formale physicæ, hoc est per ens naturale, seu sensibile, sed per essentiam divinam, quæ est obiectum formale Theologia. Sicut autem essentia divina continet eminenter omnia obiecta creata formalia, sic scientia divina continet eminenter omnes scientias distinctas à Theologia.

24. Dicendum octavo: cognitio, quæ Deus cognoscit se ipsum, & omnia, respectu Dei, & omnium aliorum est simul perfectissimè speculativa, & perfectissimè practica, saltem eminenter. Probatur: nam cognitio, quæ habet pro fine adæquato ipsum cognoscere, & scire, est perfectissimè speculativa; sed cognitio Dei habet pro fine adæquato ipsum cognoscere, & scire, siquidem est idem cum divina essentia, quæ habet pro fine adæquato se ipsam; ergo &c. Rursus cognitio, quæ suo obiecto est ratio totius esse, quod habet, & quod potest habere, est perfectissimè practica; sed cognitio divina ita cognoscit se ipsam, & omnia, ut sit sibi, & omnibus alijs ratio totius esse, quod habent, & quod possunt habere, siquidem est idem cum divina essentia, quæ cum sit à se, est prima ratio sui ipsius, & omnium aliorum; ergo &c. Cognitio igitur divina ita cognoscit possibilia, ut sit illis ratio possibilitatis; ita cognoscit impossibilia, ut sit illis ratio impossibilitatis, siquidem possibilia, & impossibilia sunt talia non casu, sed ex summa ratione; ita cognoscit existentia, vel non existentia, ut sit illis ratio existendi, vel non existendi.

25. Dixi tamen in conclusione cognitio-

nem divinam esse practicam saltem eminentè. Nam posset aliquis existimare ad cognitionem formaliter practicam non sufficere, ut sit obiecto ratio totius esse, quod habet, vel potest habere, sed ulterius requiri, ut sit de obiecto operabili, & ut habeat pro fine opus. Si hoc intelligatur nomine cognitionis formaliter practicæ, cognitio Dei non erit formaliter practica respectu ipsius Dei, cum Deus non sit obiectum operabile; nec erit formaliter practica respectu creaturarum, quia non habet pro fine opus, sed habet pro fine adæquato se ipsam. Erit tamen practica eminentè, quia continebit perfectionem simpliciter simplicem cognitionis practicæ, quæ consistit in hoc, ut sit obiecto ratio totius esse, quod habet, vel potest habere.

26. Dicendum nono: Deus cognoscit omnia sine vlla compositione, & sine vllò discursu. Probatur: nam compositio consistit in hoc, ut quia intellectus concipiens subiectum primò intuitu non videt omnia, quæ de subiecto possunt verè enunciari, progrediatur ad faciendos varios conceptus prædicatorum affirmabilium, & negabilium, & ad talia prædicata cum subiecto componenda per affirmationem, vel à subiecto diiudicanda per negationem: ex. gr. quia ego concipiens Petrum unico intuitu non video, quod est sapiens, iustus &c. formo varios conceptus sapientis, iusti &c. & per compositionem dico: *Petrus est sapiens, iustus &c.* per divisionem dico, *Petrus non est equus &c.* Discursus consistit in hoc, ut quia intelligens principia unico intuitu non videt omnia, quæ continentur in principijs, progrediatur per varias cognitiones ad illa inferenda ex principijs: ex. gr. quia in principijs, ac definitionibus mathematicis positis initio librorum Euclidis non videmus unico intuitu conclusiones contentas in talibus principijs, per varias cognitiones progredimur ad conclusiones paulatim inferendas ex principijs; sed Deus unico intuitu ita comprehendit suam essentiam, quæ est prima, & adæquata ratio omnium enunciabilium, ut videat omnia enunciabilia; ergo est incapax omnis compositionis, ac discursus.

27. Ad 1. nego ad scientiam propriè dictam requiri, ut sit cognitio conclusionum, causata à cognitione principiorum per discursum: requiritur enim, & sufficit, ut sit cognitio conclusionum per sua principia, & suas rationes; sed Deus ex dictis conclusionibus 2. & 4. cognoscit omnes conclusiones per divinam essentiam, quæ est primum principium, & prima ratio omnium; ergo &c.

28. Ad 2. distingo maiorem: intelligere, & scire est quoddam moveri, & pati; est quoddam assimilari, & perfici analogicè ab obiecto formali, & primario, concedo maiorem: est quoddam moveri, & pati propriè, nego maiorem: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. De ratione intellectus est, ut sit quoddam moveri, & pati, per-

perfici, assimilari analogicè, consistens in hoc, ut intelligens habeat ab obiecto formali, & primario actum, & perfectionem intelligendi, ac representandi obiectum; sed Deus à se ipso, & à sua essentia, quæ est obiectum formale primum diuinæ intellectionis, habet actum, & perfectionem intelligendi, ac representandi se ipsum; ergo analogicè mouetur, patitur, assimilatur, & perficitur à se ipso, adeoque seipsum intelligit. Ex opposita ratione cognitio creata non potest intelligere seipsum ut obiectum formale, & primum, quia cum non sit à se, sed ab alio, debet ab obiecto formali, & primario distincto habere actum, & perfectionem intelligendi. Aristoteles non dicit, quod intelligere est moueri, ac pati, sed solum, quod est quoddam moueri, & pati ad significandum, quod est quoddam moueri, ac pati solum analogicè, & improprie.

29. Ad 3. concedo maiorem, & distingo minorem: omnis intellectio, & scientia, quæ non sit à se, distinguitur à suo obiecto primario, concedo: quæ sit à se, nego: & nego consequentiam. Est de ratione intellectionis, & scientiæ, ut habeat suum esse, & suam perfectionem ab obiecto primario; sed cognitio, quæ non est à se, non potest à se habere suum esse, & perfectionem, cognitio, quæ est à se, potest, ac necessario habet à se suum esse, & perfectionem; ergo cognitio, quæ non est à se, distingui debet à suo obiecto primario, cognitio, quæ est à se, non potest distingui à suo obiecto primario, alioquin cum non possit habere suum esse ab illo distincto, si distingueretur à suo obiecto primario, non haberet suum esse, & suam perfectionem à suo obiecto primario, quod repugnat. Identitatem cognitionis diuinæ cum suo obiecto primario docuit Aristoteles 12. Metaph. text. 51. dicens. *Seipsum ergo intelligit, si est quidem quod optimum est, & est intellectionis intellectio.* Quibus verbis continetur hoc argumentum. Intellectio diuina est ipsum optimum; sed intellectio ut sit optima, debet habere optimum obiectum, primum; ergo intellectio diuina habet se ipsam pro obiecto primario, & est intellectionis intellectio. Nec dicas non posse percipi, quod intellectio primario intelligat se intelligere. Dico enim satis percipi, quod intellectio, quæ est omne esse, & omne bonum, primario intelligat hoc ipsum, quod ipsa est intellectio continens omne esse, & omne bonum.

30. Ad 4. distingo maiorem: omnis scientia specificatur, & mensuratur saltem analogicè ab obiecto formali, & primario, concedo; ab obiecto purè materiali, ac secundo, nego; concedo minorem; & nego consequentiam. Specificari, & mensurari est habere suum esse, suam perfectionem, & suam quantitatem virtutem ab aliquo; sed cognitio diuina habet adequatè suum esse, suam perfectionem, & suam quantitatem virtutem à di-

uina essentia, quæ est adequatum obiectum, formale, & primum ipsius; ergo specificatur, & mensuratur adequatè à diuina essentia in omni genere, non autem ab ullis obiectis extrinsecis, ut expresse docet S. Thomas hic quæst. 14. ar. 3. ad 3. dicens. *Vnde non oportet, quod ipsum intelligere diuinum, vel potius ipse Deus specificetur per aliquod extrinsecum.* Ex opposita ratione cognitio creata, cum habeat esse, ac speciem, & quantitatem perfectionis ab obiecto, & à causis distinctis, specificatur ab obiecto, & à causis distinctis.

31. Dices: cognitionem specificari ab obiecto est, quod non possit intelligi, nisi per ordinem ad tale obiectum; sed diuina cognitio obiectorum extrinsecorum, non potest intelligi, nisi per ordinem ad obiecta extrinseca; ergo &c.

32. Respondeo, distingo maiorem: cognitionem specificari ab obiecto est, quod non possit intelligi, nisi per ordinem ad obiectum, tanquam ad exemplar, concedo; tanquam ad imaginem, nego; distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Imago est, quod generatur ad imitationem alterius, ut illud representet: Exemplar est ad cuius imitationem alterum generatur. Imago per hoc, quod generetur ad imitationem exemplaris, specificatur ab exemplari; exemplar ex opposita ratione specificat imaginem. Cognitio creata, generatur ad imitationem obiecti extrinseci, & per hoc specificatur ab obiecto extrinseco, tanquam ab exemplari. Intellectio essentialis Dei non generatur ad imitationem ullius obiecti extrinseci, sed est primum exemplar, & prima idea, ad cuius imitationem sunt omnia extrinseca, ideoque non specificatur, sed specificat omnia obiecta extrinseca, & intelligitur in ordine ad obiecta extrinseca, non tanquam ad exemplaria specificantia, sed tanquam ad imagines specificatas.

33. Ad 5. distingo maiorem: quæ carent omni scibilitate tum extrinseca, tum intrinseca, non possunt sciri, concedo maiorem: quæ carent omni scibilitate intrinseca, sed non extrinseca, nego maiorem: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Possibilia licet non sint intrinsecè in se ipsis, tamen extrinsecè, & potentia sunt in diuina essentia potente illa producere, ideoque habent scibilitatem in essentia diuina. Proportionaliter impossibilia licet non habeant scibilitatem intrinsecam in se ipsis, tamen habent scibilitatem in suo opposito, hoc est in sua impossibilitate extrinseca, & in diuina essentia, quæ est ratio omnis possibilitatis, & impossibilitatis.

34. Ad 6. concedo maiorem, & distingo minorem: infinitum comprehendere non potest, cognoscendo partem post partem, concedo; cognoscendo omnia simul, nego; & nego consequentiam. Infinitum definitur ab Aristotele 3. phys. text. 63. *Cuius secundum quantitatem accipientibus semper est aliquid extra accipere,* ideo-

ideoque infinitum, sumendo partem post partem, finiri non potest. At infinitum sumendo omnia simul, potest quodammodo finiri. E. gr. si detur linea infinita, licet auferendo partem post partem, puta palmum post palmum, finiri non possit ablatio, auferendo illam totam simul, finiri potest ablatio. Proportionaliter infinita, cognoscendo partem post partem, comprehendi non possunt, & ut loquitur Augustinus, non possunt scientiae comprehensione finiri; at cognoscendo omnia simul, possunt comprehendi, & scientiae comprehensione finiri. Deus cognoscit infinita simul, ideoque illa comprehendit, & suae scientiae comprehensione quodammodo finit.

35. Ad 7. concedo maiorem, & distingo minorem; creaturae continentur in Deo secundum solas perfectiones continentiae praesens se habent ad imperfectiones, nego minorem; continentia positiue excludente imperfectiones, concedo minorem; & nego consequentiam. Deus continet creaturas secundum omnes perfectiones cum positiua exclusionem omnium imperfectionum, ideoque comprehendens hanc suam, continentiam, cognoscit creaturas secundum omnes, & singulas perfectiones ut contentas, & secundum omnes, & singulas imperfectiones ut exclusas, & sic retorquetur argumentum.

36. Ad 8. distingo maiorem: vnum quodque si non cognoscitur per similitudinem oppositi, cognoscitur per suam similitudinem existentem in cognoscente, concedo maiorem; si cognoscitur per similitudinem oppositi, nego maiorem; concedo minorem; & nego consequentiam. In Deo datur similitudo solius boni, non autem mali ut mali. Quia tamen essentia diuina est similitudo exemplaris omnis boni, exclusiua à se omnis mali, ideo per essentiam diuinam, tanquam per similitudinem boni exclusiuam omnis mali cognoscuntur omnia mala secundum omnem rationem mali. In Deo igitur dantur ideae, exemplaria, & similitudines omnis boni, sed non datur vlla idea, & similitudo mali. Idea enim est similitudo, ad cuius imitationem aliquid fit; sed omnia bona fiunt ad imitationem Dei, nulla mala fiunt ad imitationem Dei; ergo &c.

37. Ad 9. distingo maiorem: cognoscere impossibilia, assignando ipsis aliqua, quae non conueniunt, est fingere, concedo maiorem: cognoscere impossibilia, purè affirmando, quod neque sunt, neque possunt esse, nisi per intellectum fingentem, est fingere, nego maiorem; concedo minorem; & nego consequentiam. Deus cognoscit impossibilia purè de ipsis enunciando, quae possunt verè enunciari, hoc est quod neque sunt, neque possunt esse, sed solum possunt fingi, ideoque cognoscit impossibilia sine vlla fictione. At intellectus noster cognoscendo impossibilia fingit, quia cognoscit illa ad modum entium.

## QVÆSTIO XLIII.

*Verum, & quo pacto Deus ab æterno viderit  
contingentia futura?*

*S. Th. q. 14. ar. 13. & 14.*

1. **V**idetur, quod Deus ab æterno non potuerit certo cognoscere contingentia absolutè futura, puta actus bonos, aut peccata, quæ in tempore liberè faciunt homines, aut Angeli: primò, quia intellectus diuinus ab æterno ex se erat indifferens ad praesciendum, vel quod Lucifer, & Angeli erant peccaturi, vel quod erant non peccaturi; ergo cum non esset potentia formaliter libera, non potuit seipsum determinare, sed debuit ab aliquo alio determinari ad praesciendum potius, quod erant peccaturi, quam non peccaturi; sed non potest explicari, à quo potuerit determinari; ergo &c.

2. Secundò, quod posito aliquo antecedenti, non potest non sequi, sequitur, necessariò, & non liberè; sed posita æterna, adeoque antecedenti praescientia Dei de peccatis hominum, & Angelorum, peccata hominum non possunt non sequi, alioquin falsificaretur diuina praescientia, quod implicat; ergo peccata hominum, & Angelorum fierent necessariò, & sic aufertur liberum arbitrium, & Deus necessitat ad peccandum.

3. Tertiò sicut Lucifer, & Angeli mali de facto peccarunt, sic potuissent liberè non peccare; ergo sicut de facto Deus praesciuit illos peccaturos, sic potuisset praescire illos non peccaturos, adeoque potuisset habere aliam praescientiam, quam habuerit de facto; sed hoc includit quamdam mutabilitatem quoad scientiam; ergo.

4. Quarto Deus anno superiore affirmabat hunc annum non esse praesentem, neque praeteritum, sed futurum; hoc anno affirmat eundem non esse praeteritum, nec futurum, sed praesentem; anno sequenti affirmabit hunc eundem annum non esse amplius praesentem, neque futurum, sed praeteritum; sed est impossibile, ut intellectus modo dicat aliquid esse praesens, modo dicat illud non esse amplius praesens, absque eo quod mutetur quoad cognitionem; ergo diuinus intellectus mutaretur quoad cognitionem.

5. Respondeo de fide est Deum ab æterno praesciuisse omnia futura. Sapientiae enim 3. de diuina sapientia dicitur: *Signa, & monstravit, antequam fiant, & euentus temporum, & saeculorum scit, praeterea & de futuris astimat.* Sapientiae 19. *Præsciebat enim futura illorum.* Eccles. 23. *Deo antequam crearentur, omnia sunt cognita.* Plura alia testimonia Scripturarum, ex quibus arguunt Patres, videri possunt apud Ruiz disp. 22. de scientia Dei sect. 2. vbi etiam affert illud Tertulliani lib. 2. contra Marcionem